

Hic Praetextatus, ‘mirum’, inquit, ‘in modum digessit Eustathius quae de Graeca antiquitate carmini suo Vergilius inseruit. sed meminimus viros inter omnes nostra aetate longe doctissimos, Furium Caecinamque Albinos, promisisse se prodituros quid idem Maro de antiquis Romanis scriptoribus traxerit, quod nunc ut fiat tempus admonet.’ cumque omnibus idem placeret, tum Furius Albinus: ‘etsi vereor ne, dum ostendere cupio quantum Vergilius noster ex antiquiorum lectione profecerit et quos ex omnibus flores vel quae in carminis sui decorem ex diversis ornamenta libaverit, occasionem reprehendendi vel imperitis vel malignis ministrem, exprobrantibus tanto viro alieni usurpationem nec considerantibus hunc esse fructum legendi, aemulari ea quae in aliis probes, et quae maxime inter aliorum dicta mireris in aliquem usum tuum opportuna derivatione convertere, quod et nostri tam inter se quam a Graecis et Graecorum excellentes inter se saepe fecerunt. et ut de alienigenis taceam, possum pluribus edocere quantum se mutuo compilarint bibliothecae veteris auctores, quod tamen opportune alias si volentibus vobis erit probabo. unum nunc exemplum proferam, quod ad probanda quae adsero paene sufficiet. Afranius enim togatarum scriptor in ea togata quae Compitalia inscribitur, non inverecunde respondens arguentibus quod plura sumpsisset a Menandro, ‘fateor’, inquit,

sumpsi non ab illo modo
sed ut quisque habuit conveniret quod mihi,
quod me non posse melius facere credidi,
etiam a Latino.

quod si haec societas et rerum communio poetis scriptoribusque omnibus inter se exercenda concessa est, quis fraudi Vergilio vertat, si ad excolendum se quaedam ab antiquioribus mutuatus sit? cui etiam gratia hoc nomine habenda est quod non nulla ab illis in opus suum, quod aeterno mansurum est, transferendo fecit ne omnino memoria veterum deleteretur, quos, sicut praesens sensus ostendit, non solum neglectui verum etiam risui habere iam coepimus. denique et iudicio transferendi et modo imitandi consecutus est ut, quod apud illum legerimus alienum, aut illius esse malimus aut melius hic quam ubi natum est sonare miremur.

II. Sprachliche Erläuterungen

1. Was für eine Literaturgattung repräsentiert der Text?
(nennen Sie weitere Beispiele!)
2. Definieren Sie in aller Kürze (1 Satz) das Thema der Darlegung!
3. Zeichnen Sie knapp den Argumentationsgang des Sprechers nach!
4. Welche Hinweise gibt der Text auf die Zeit seiner Entstehung?